GODEFRIDUS ADMONTENSIS

Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 45r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift

45

DOMINICA SEPTIMA. Marcum.
CUM. TURBA.
MULTA ESSET CUM IHESU. NEC HA
berent quod manducarent. convocatis ihesus discipulis
suis ait. Misereor super turba. quia ecce iam triduo susti
nent me. nec habent quod manducent. Omelia lectionis eiusdem.
HODIERNA DO
MINICA. QUE AB EXORDIO DOMI
nicarum estivalium quas celebravimus. septima
in ordine succedit. septime diei congruit et respondet.
in qua deus pater perfectis et creatis omnibus. ab universo opere
quod patrarat requievit. sicut in libro genesi scriptum est.
Igitur perfecti sunt celi et terra. et omnis ornatus eorum. Com
plevitque deus die septimo opus suum quod fecerat. et requievit
ab omni opere quod patrarat. Et benedixit deus diei septimo.
et sanctificavit eum. quia in eo cessavit ab universo opere quod
creavit deus ut faceret. Per celum angelica. per terram humana
natura potest designari. Hec utraque natura angelorum vide
licet et hominum tunc perfecta est. quando ad eternitatem
creata est. ea perfectione. que congruit incipienti nature.
Omnis autem ornatus angelice creature perfectus est. quando
post lapsum malorum angelorum. facta est confirmatio bonorum
angelorum. et illis propter superbiam a deo deiectis. istis datum est in mu
nere. ut numquam cadere possent. Sic erat omnis ornatus angelice
creature. sed et omnis ornatus humane nature tunc perfi
cietur: cum omnes electi et iusti occurrent in virum
perfectum. in mensuram etatis plenitudinis christi. cum filius
tradiderit regnum deo patri. et erit deus omnia in omnibus.
Quid est tradere regnum deo patri. Tradere regnum deo
patri. est omnes sanctos perducere ad visionem dei patris.